*INSANIENTIS SAPIENTIÆ*
*Sive Enthusiasmi Refutatio.*

(11)

# CONCIO

Habita ad

# CLERUM

## Academiæ Cantabrigiensis

IN

## FERIIS DIVI PETRI,

Triduo ante COMITIORUM Solennem Diem,
An. 1700. pro Gradu Doctoratûs in S. Theologiâ.

A *JOHANNE GASKARTH*, S. T. P.

---

Τοιοῦτος σάλος ψυχῆς ἐνθουσιασμός. Plut. Orac. Pyth.

Συννοῆσαι μὲν γὰρ ἔμφρονος, τά τε ῥηθέντα ὄναρ ἢ ὕπαρ ὑπὸ τῆς μαντικῆς τε καὶ ἐνθουσιαστικῆς φύσεως, καὶ ὅσα ἂν φάσματα ὀφθῇ, πάντα λογισμῷ διελέσθαι. Plat. in Timæo.

---

*CANTABRIGIÆ,*
TYPIS ACADEMICIS,
Impensis *Edmundi Jeffery*, Bibliopolæ *Cantabr.*
M. DCC.

87...775

## Ad ROM. VIII. 14.

*Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.*

INSIGNI hoc capite ad difficillimum certamen, quod Evangelicæ Religionis præcipuum, ac proprium munus eſt, nos provocat Apoſtolus, nempe ut virtute Spiritûs Sancti intus ſe explicantis in animis noſtris, appetitus Carnis, cupiditates omnes ex pravâ iſta propagine ortas quamprimùm enecemus; quæ internecio vitioſi principii & propenſionum depravatarum, beatitudinis noſtræ, ſive vitæ in cœlis interminatæ fundamentum ſubſtruit, eique olim perfruendæ nos idoneos reddit. Ita comparati eſſe debemus, ut leni illius cœleſtis Monitoris imperio, & inſtinctibus uſque obſequamur, eo omnium noſtrarum conſtituto actionum Præceptore, ac duce, cujus intimis inſtigationibus, quaſi vivis in cordibus inſcriptis Legibus nos totos tradamus tam quà ad mentem, quàm quà ad corpus penitus gubernandos. Nam mentis conſilia æquè ac deſideria, & ſapientia carnis (Gal. 5. 24.) quibus nimiùm imbutus degeneri hoc ſtatu ſe animus exſerit, Spiritui rectori ſubjicienda ſunt. Sic tamen ſubjici, ſic gubernari divino hoc intus ſuggerente Paracleto, ut libenter conſpiremus, non coactè, non impulſu violento ad officium pertrahamur; ſed uberiori Luce perfuſo intellectu, vel ipsâ forſan leniter inflexâ, ac pulsâ voluntate, ita ut reniti poſſit, ex nolentibus volentes facti ſponte abripiamur, & dum agimur,

agamus pariter. Quare eodem dicimur magiſtro Apoſtolo per Spiritum *vivere*, per Spiritum *ambulare* (Gal. 5. 25.) Quæ activè enunciata vocabula ad hanc ſententiam aperienda ſunt, ita nos Gratiâ animatos eſſe, novis exinde viribus auctos, ad Chriſtianam paratos ac promtos militiam, ut in illâ militandâ Facultatibus noſtris, tum quas ipſa Gratia ſuppeditat, tum quas à lapſu reliquas tenemus, liberè utamur. His inſtructi donis, quæ à primo peccato reſiduæ ſunt, copiis, ſanctique Inſpiratoris influentiis, ac adjumentis, pia incœpta aggredimur, Evangelii decretis obſecundamus; ita tamen ut vivifico hujus afflatui, quod feliciter evenit, quantum ad virtutem & ſanctimoniam profecimus, id integrum tribuere jus poſtulat. Juxta quæ Salvator docet (Johannis 6. 44.) *Nemo poteſt ad me venire, niſi, qui me miſit, pater cœleſtis traxerit eum*; quæ tractio plerumque fit (ut Hieroclis verbum uſurpem) διὰ ἔλλαμψίν τινα, per diſſeminatam in animo illuſtrationem quandam, concurrente viſu, ſive operâ noſtrâ (παρὰ ἡμῶν ὁράσεως αὐτῇ συντρεχούσης.) Cui conſimilia habet Apoſtolus (2 Cor. 4. 6.) *Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris.*

Huic ergo Inſpiratori cùm univerſim ancillemur, ejus ad ductum rectâ libertatis inclinatione ac uſu nos totos componentes, uti tunc divinas, quà licet, Perfectiones in nobis deſcribimus, Patriſque cœleſtis imaginem induimur, ſic appellatione dignamur filiorum Dei (1 Johan. 3. 1.) Quemadmodum filii Abrahæ dicebantur, qui præcellentibus ejus & Fidei, & Virtutibus inſiſtebant. Unde qui hoc illuminante animos non ducuntur magiſtro, indigni ſunt, utpote Deo diſſimiles naturæ habitu ac indole, qui tanto honore inſigniantur. (Rom. 8. 9.)

Hic loci ſcopus, & ſententia eſt. Unde hæc ſequentis orationis argumenta depromenda cenſui: quæ ſi ſatis poſſim pro dignitate excutere, (quoniam noſtro hoc ſeculo Fanatici

natici Impoſtores abundè ſcatent) veris utrinque diſputatis rationibus; nec mihi ipſi infructuoſam, nec vobis pœnitendam lucubrationem ac operam inſumſiſſe videbor.

Primùm ergo Enthuſiaſmum definitum dabo, ejuſque exponam vires ac effectus, quæ divinum afflatum adeò ſimilitudine exſcribunt, & referunt, ut alterum ab altero, verum à falſo vix pauci dijudicare ac diſtinguere noverint.

Tum poſtquam explicuero conſtantes gratiæ Influxus, & Dona quæ cunctis in ſubſidium, qui cum iis diligentiam navant, præſtò ſunt, Characteres quoſdam, ſive notas adjungam, unde vera inſpiratio, illiuſque effectus à fucatis illis diſcernenda veniunt.

Tertiò medelam, ſi quam potero, afferam adeò adblandientis, & calamitoſi apud homines mali.

Plurimi enim pejori hoc noſtro quàm majorum ævo, divinâ Unctione, ſive Spiritûs, quas dicimus, extraordinariis dotibus delibutos ſe jactantiùs prædicant; adeò ut omni ſemper hominum ſeculo Chriſti vaticinium, & Apoſtolorum de Pſeudo prophetis (Mat. 7. 15. 2 Pet. 2. 1.) Spiritibus erronibus (1 Joh. 4. 1.) qui penetrant Domus, mulierculaſque multis abreptas cupiditatibus captivas ducunt (2 Tim. 3. 6.) verum exiſtimem.

I. Enthuſiaſmus itaque (qui homines in illam mentem impellit, ut ſe divinitùs afflatos, ſeu inſpiratos credant) ſi neglectis verborum apicibus ac minutiis philoſophicè definiam, eſt concitatior impetus, ſive ardor *animi*, non ab *ipſo* natus, (quoniam *ipſe* per ſe tranquillus, niſi foras agitetur, omniſque expers perturbationis eſt) ſed aliunde profectus ex ſingulari corporis affectione & ſtatu, plurima perficiens, vel ad perficiendum vehementiùs ſtimulans; quæ propterea, quòd hominum plerumque captum, ac ſortem ſuperare videntur, cauſarum efficacitatis ſecundarum

darum ignari, miracula esse censent, soloque Deo imputanda Auctori. Hæc Enthusiasmi definitio esto, expressa & deducta à causis suis.

Si aliqui igitur futura prædixerint, quæ cùm evenerint ita cadunt juxta ac præsignificata fuerint: Si sensuum externorum illectamentis devictis, toti animis vacaverint, intimisque commentationibus ac studiis inhæserint, eâ solâ in nobis parte, quæ Mentis, & Rationis particeps est, vegetâ manente, ita ut curis negotiisque vacui secessum animi, sive ecstasin pati præ se ferant: (qualia de Socrate accepimus tradita, quòd pertinaci statu à primo lucis ortu ad Solem alterum orientem, inconnivens, immobilis, iisdem in vestigiis stare cogitabundus solitus fuit, [Aul. Gell. p. 111.]) & cùm quasi reviviscunt, simulatumque veternum excutiunt, atque ad sueta facultatum officia, ac usus reverti placet, effutiverint quædam vel ementita præsagia, imò vel vulgares Sermones, modò affluenti oratione, ac copiâ pronunciata sint: Vel si experrecti tum Sensibus, tum Animo, sive Prosâ solutiori, sive ad numeros magis constrictâ Poesi, tam ubertim quàm suaviter salutares ex omni Philosophiâ sententias derepente effuderint: Vel si ad Deum conversis Elegantiis suis, Omnipotentem Creatorem, apud quem ex innumeris peccatis adeò in offensâ sumus, multâ obsecratione copiosiùs interpellaverint: Vel si debitè perspectis immensis Dei munificentiâ ac donis, dum Ipsum impendiò magis diligunt, abundantiori profluentiâ grates illi exsolverint: Hæc & similia si præstiterint aliqui, qualia perfeciſſe etiam nequissimos ex Historiâ novimus, quoniam supra mortalis sagacitatis sortem videntur esse, protinus se pro Inspiratis venditant, talesque ab aliis haberi cupiunt, uti à mirabundis homuncionibus plerumque habentur.

Hæc itaque quæ adeò suspiciunt, adeò stupent rerum majorum

majorum imperiti mortales, si ex Naturæ principiis & causis deduci possint, ut sæpiùs possunt; tum profectò ad hasce contemplationes soli homines inexercitati sint necesse est, qui ea indiscriminatim Charismatibus Spiritûs ascribunt annumerantque.

Primùm, quod ad Præsagitionem spectat, sic affirmare, sic statuere licet, Nonnullorum naturalem Præsensionem esse. Cùm enim, demtis iis quæ Deus tanquam ἀπὸ μηχανῆς immediatè perficit, per actum singularem Providentiæ suæ, cuncta moderantis ad commodum atque incolumitatem humani generis; quando, inquam, demtis iis, omnium eventuum Causæ quædam naturales sint indissolubili nexu catenâque constrictæ, ita ut quæ prima quæque deinceps necessariò gignant, (quam Stoicorum de colligatione Causarum sententiam, nisi longiùs progressam ad deturbandum Deum è gubernaculis rerum, Fatoque ineluctabili universa suspendenda, inficiari haud habemus;) concesso illo rato rerum ordine ac serie, quæ necessariò effectum attingant, nisi conjunctionem Naturæ interrumpat Deus; quidni & illi, qui abdita principia magìs animo perspiciunt, vel insensilis Materiæ, vel Hominum ad varias ac diversas occasiones liberè agentium, quomodo invicem hæc Principia innituntur, quas intus vires, seu efficacitatem continent, quò occultis impressionibus ingruunt, & quos tandem in exitus proruptura sunt; quidni, inquam, qui hæc exordia intimiùs spectant, quasi involuta integumentis suis, quæ postmodum evenient intra certos cancellos præsentiant, prædicantque? Qui enim causas tenet rerum futurarum, idem, necesse est, omnia teneat quæ futura sint. Sic præmonstrârunt, quisque seculo suo, sapientes, sic antè denunciârunt, qui vel singulis Hominibus, vel universis Civitatibus casus impenderent, Medici, Philosophi, Gubernatores. Atque utì olim, ita nunc quoque commodè instructi ad Artes

suas,

ſuas, modò obſervationes conſtantes adhibuerint, conſequentium præſagi, ſive prophetæ quadantenus æſtimandi & dicendi ſunt. (Tull. de Divin. lib. 1. 95, 96. lib. 2. 10. de Off. l. 1. 113.)

At cùm iſtas penitus perſpicere cauſas nemo niſi ſolus Deus poteſt, omiſſo, quòd ſæpius illarum nexum, prout libet, disjungat, fatendum eſt etiam quæ in homine ſagaciſſimo deprehenditur, conjecturam tantùm probabilem eſſe, talem tamen, qualem frequenter eventus comprobat.

Vel aliter forſan ex occulta Sympathiâ ad Sententiam nonnullorum explicari, & defendi præſagitio poteſt. Cùm inter partes Univerſi harmonia quædam concentuſq; ſit, quandoquidem è longinquo ſpecies ſuas, ſive Effluvia tranſmittunt, inque ſe invicem mutuis contactibus, ac implicationibus agunt; ita ad illas neceſſitudine quadam comparantur, ac finguntur ingenia noſtra, ut dum Spiritus percutiant, quos animales dicimus, qui animæ uſui & ſubſidio ſunt in procudendis cogitatis ſuis, (rectè interim conſtitutis tum mente tum corpore per debitas virtutum exercitationes) qualiter illæ ſe res habent, & quæ demum eventa parituræ ſint, quaſi antè præſentire ac prænoſcere potuerimus. Sic cenſuit Ariſtoteles, ſic alter egregius Chriſtiani nominis Philoſophus, Syneſius Ptolemaidis Præſul. (p. 134.) Et forſan iſtiuſmodi permeantium per omnia effluviorum ope, (quæ ſenſibus licet impercepta ſint, alterâ tamen mentis penitiori facultate occupari poſſint) plurima hominibus juſtâ habitudine ac ſtatu conſtantibus, naturæ arcana ac abdita innoteſcant. Si ergo prædictiones quaſdam naturalis ſagacitas ſolerti obſervatione elaborata & perfecta eruere poſſit; quid eſt quòd prædictiones omnes, veraces licet, Spiritui imputemus, eoſque qui iſtas perquirant ac enarrent, Divino inſtinctu inflatos dicamus?

At illa quænam ſunt, quæ pro more ſuo prænunciant Enthu-

Enthuſiaſtæ? Supplicia, ſcilicet, in nefarios homines, quæ à Deo certiſſima conſtituta ſunt, iiſque quotidie quaſi inſidiantur, ac imminent.] Sed ipſe ſolus, qui corda perſcrutatur, pœnarum novit opportunitates, quando illas vel infligere in obfirmatos ſceleſtos, vel irruentes ſiſtere, atque ſolennem clementiam induere versùs eos, quos cernit conſilium mutaturos, ac ad bonam frugem reverti poſſe. Quare iſti præſagi, dum in ſe ſuſcipiunt judiciorum Dei præfinire tempora, vani ſæpe Harioli & Falſarii deprehenduntur; eo illos omnes ſemper notante ad finem ſeculi, quod olim de Chaldæis nomine ſuo dixit Jehova; *Ego is ſum, qui irrita facio ſigna Divinorum, atque mendaces in furorem agens ſapientes converto retrorſum, & ſcientiam illorum infatuo.* Iſa. 44. 25.

Quod verborum abundantiam, ac copiam ſpectat, quâ alii aliis ſive cedunt ſive potiores ſunt, nihil impedit quo minùs naturæ illam Dotibus, ingenii magnitudini diſciplinis excultæ, Phantaſiæ præſertim Sermonis Promtuario, præſtantiori ſi gradu ſit, inſcribendam putemus. Phyſicis enim rationibus compertum eſt fervorem quendam ſanguinis, & Spirituum celeritatem Melancholiæ inſidere, nempe atram bilem ſanguinis immiſtam, atque infuſam liquori, puriſſimi vini ad inſtar eſſe; quæ ubi aliquantò affluentior eſt motibus ſe violentis explicat, & mentis ſedem vehementiùs impetit. Unde animum facilè inducamus eos, qui iſtâ nimiâ plus temperie gaudent, tum ſummâ ubertate, tum mirâ eloquentiâ, etiam neglecto meditationis uſu, derepentè Sententias vel Poeticis numeris, vel Oratoriis concluſas expromere poſſe. Non memoro Antipatrem illum Sidonium, quem narrat Cicero, verſus hexametros alioſque variis modis ſolitum fuiſſe fundere extempore. Orat. lib. 3. 107. Sed prætermiſſo Poetarum Cœtu, qui numine afflati, Deum aliquem intus habentes à ſuis ſemper crediti, ac appellati fuerunt,

(Plat. Ed. Basil. v. 9.) Hæc de moderatis, & sobriis planè Oratoribus invenimus, Græco Demosthene, Latinoque Cicerone, aliis etiam, quos sæpe in gravissimis Reipublicæ causis extempore Orationes copiosas ac ornatas habuisse legimus: Imò Sophistæ, vani homunciones, vel ostentationis, vel quæstûs causâ in utramque partem declamare soliti, nullâ veritatis, neque commodi civilis ratione habitâ, istam sibi artem acquisiverunt, ut magno applausu imparati prorsus in qualibet materiâ concionarentur, ac dicerent. Hanc itaq; Facultatem ex uno Naturæ profluxisse penu, quam usus proinde auctiorem reddidit, credendum est. Non enim jus sinit, non Religio patitur, ut adulatoribus Sophistis Divinum afflatum adveniſſe putemus. Cur itaque Christiani, præfervidæ ejusdem temperiei operâ nobilius nacti amoris illicium ac incitamentum, quod in illam temperiem fortiùs agat, non eadem continenter, & sobriè præstarent, quæ olim præstiterunt ad insaniam usque furentes Ethnici? Nullum est ad excitandos affectus efficacius, quod eatenus mentem incutiat instigetque, quàm divinæ misericordiæ in Christo Redemtore ac Salvatore argumentum: Perfectè illud animi capacitatem complet, & tum verba, tum sententias grandiores submini strat, etiam ubi in mores influere, vitamque dirigere nequaquam conceditur, scilicet in iis qui ad ejus instaurari disciplinam renuunt.

Siquidem ergo in phantasiâ Enthusiasmus resîdet, atque à corporis quodam habitu tum originem, tum progressionem sumit, ut ex eo manifestò proditur, quòd plerumq; homines libidinosi sunt, impurarum voluptatum vera mancipia, qui nomen illud dictis suis maximè prætendunt; (*More* de Enth. Sect. 21, 22.) siquidem ita res constat, *sic* se habente Enthusiasmo; Quando nimiùm indulgetur, ultra quàm Religionis interest, ejusve usibus inserviat, *rationem* ad se in subsidium attrahit, quæ media quædam

Facultas,

Facultas, [illegible] est inter Sensuum instinctus, & quæ Evangelii hortamenta sunt, ac in utramlibet partem propensior, prout alterutra dominatum obtinet. Atque ubi ad se Enthusiasmus rationem allicit, officiorum omnium, ac affectuum Christianorum speciem induet; tum amorem exhibebit, tum etiam timorem benignissimi *Creatoris, & Redemtoris Dei*; zelum indignabundum adversùs omnem in *utrumvis*, imò in tres singulas divinas Personas impietatem, vel scelus; flagrantissimum studium, quæ illi debetur observantiam tuendi, illibatamque in omnibus, ac integram ejus conservandi gloriam; Gaudium cumulatum, animique Ovationem, quâ isti insulsitate illâ sive insaniâ perciti, sibi admodum placent; mirificéque gratulantur de præcellentibus adeò privilegiis, ac donis. Hos omnes affectus Enthusiasmus concitat, etiam summum oblectamentum in conferendis sermonibus, qui ad religionem spectant. Cúmque ita Rationem in partes abripit, siquidem corporali principio natus, quod fortiùs prorumpit ad inceptum munus, sive à quo omnia vehementiora fiunt; sic quasi totum hominem occupans, mentem, affectusque, multa etiam ingeniosa, & subtilia commentabitur, tam in quolibet virtutis vel pietatis argumento, quàm in hujusce seculi expediendis negotiis: sed quod ipsum semper prodit (præter vitæ maculas ignominiasque huic plerumque inolitas, fucatam ejus aperientes originem) turgido sermone, verbis inflatis, atque anhelatis graviùs, tumidâ eloquentiâ vel solerter inventa, vel fictas ac adumbratas sententias profert. Quod vitiosum & corruptum dicendi genus adeò apud antiquos celebre etiam in familiari convictu, ac consuetudine, tum philosophicis disceptationibus, tum facetiis Socrates (quem facetissimum accepimus) Athenis suis repressisse dicitur, vanosque homines castiori Sermonis imbuisse habitu, ac à phantasiæ illusionibus revocasse, ut deinceps ad

rationem verſarentur, ac viverent. Utinam apud nos Socratici aliqui ingruentem hunc populi furorem cohiberent, contagionem ſiſterent, perniciem depellerent.

En Enthuſiaſmus quæ etiam in hanc vitam infert mala! quid quòd ad hæc inſtar ignis, quem dicimus fatui, tenebricoſæ Lucis fuligineis natæ, & depaſtæ vaporibus, à veritatis tramite devios in Salutis præcipitia ducat?

Prætermitto jam, quæ, ex Enthuſiaſmi indulto ſtudio, ſuperbâ affectatione, quâ pro inſpiratis æſtimari velint, *Diabolorum* incurſionibus anſa præbetur; qui nunc beneficio Salvatoris noſtri, niſi ex pravæ cujuſdam cupiditatis invitamento, cui ipſi ſe admiſceant, nos adoriri, vel lædere non poſſunt.

Quòd Ecſtaſes attinet, quæ antiquis prophetis ſolennes erant, & quas etiamnum afflatos monſtrare nonnullorum opinio fert, has ultrò ad ſe hominibus accerſere licet. Philoſophos quoſdam narratum eſt uſque eò attentos fuiſſe ad cogitata ſua, ut rebus, quæ ſenſus, corpuſque afficerent, non vacarent; per longa temporis intermiſſa ſpatia immotos hærentes, & animi planè, dum in ſeipſum totus convertitur, deliquium paſſos. Quidni ergo & Enthuſiaſtæ, ut ad omnia vehementiores ſunt, quando imaginariis ſuis acriùs incumbunt, univerſis in id inſumtis Spiritibus, etiam ſimilia patiantur? Sic explicatis è cauſis ſuis, quæ Sancto Inſpiratori Enthuſiaſtæ aſcribere amant, ad mentem Ciceronis ſtatuendum arbitror, *Ea quæ ita explicari poſſunt, non divinitùs afflatis, ſed peritis tribuenda eſſe.* (Divin. Lib. 2, 11.)

Jam argumenti penſum alterum aggrediar, notaſque apponam, quibus Enthuſiaſmus à verâ Inſpiratione diſcriminari poteſt. Atque ut dilucidior oratio ſit, principiò de divini Spiritûs donis diſſerendum judico: Quæ rationis duplicis ſunt, vel quæ perpetuò per omnes ætates ſuis adfutura pollicebatur Chriſtus; vel quæ doctrinæ, myſteriiſque

riisque Evangelii referandis necessaria, iis demum satis enucleatis, utpote deinceps supervacua, intermitti, ac desinere par erat.

Qui itaque sufficiat hujusce Inspiratoris influxus, & gratia, erudiendis animis ad pietatis officia, iisque imbuendis veris notionibus disciplinæ moralis; unde voluntate obstinatiores simus adversus vitiorum illectamenta, ac impetus, instructique satis, modò justa à nobis contentio adhibeatur, qui de pravis omnibus ex carne appetentiis, tum mundi lenociniis, Dæmonumque incitationibus victoriam reportemus: Ille, inquam, divini Spiritûs influxus, absque quo, degeneri hoc hominum statu, virtus nulla esse potest, perpetuò nostris cogitationibus immiscери, semperque piè inceptam diligentiam tum elicere, ac invitare, tum insuper & consequi putandus est. Hic sæpe immissis radiis suis intellectum occupat, veritatemque quasi illustrem reddit, ne fortè in errorem sive inopini, sive pravæ cupidinis præstigiis, ac illecebris quandoque incidamus. Hic sancta dogmata, salutaria præcepta sive desuetudine recolendi in animo, sive volupis cujusdam iteratis obsessionibus labefactata paulùm, cùm opportunum est, in memoriam revocat, vel altiùs infigit; vel de integro suggerit, quæ menti non obversabantur antea, quando usui sint in honestis moribus, ac pietatis muneribus instituendis: Imò sæpiùs exhibet tum terrores Domini, sempiternos scilicet, qui vitam sceleratam olim sunt apud inferos insequuturi, cruciatus, tum officii diligenter, sanctéque servati mercedem ac præmia; unde metu terreamur ab indignis facinoribus, omnemque in virtutem spontaneis quasi motibus, sive ad hæc consentiente, & conspirante voluntate pertrahamur faciles.

Hi divini instinctus, Salvatoris impetrati beneficio ac merito, singulis hominibus indesinenter adsunt, atque in usus cedunt. Quare nuncupatum Christum invenimus

*Verum*

*Veram Lucem, quæ omnem illuminat venientem in mundum.* (Joh. 1. 9.)

Quinetiam Christi disciplinam professis, ejusque ad præcepta vitam sedulò componentibus, illi ipsi instinctus pro paratiori animorum indole copiosiùs influunt, suppeditantur fusiùs; atque dum Scripturis Sacris evolvendis, Sancti inspiratoris eloquiis scilicet, ut jus postulat, diligentiùs incumbunt, fulgentiori lumine perfundit *mentes*: unde *illæ* inibi repertas doctrinas, quæ adeò omnem superant humani ingenii capacitatem, intimiùs attingant, percipiantque; & fortassis aliquando leni impulsu (non mediante intellectu, sive evidentiâ illustriori ex parte objecti) quem facili negotio, si lubet, repellamus, voluntatem permovet.

Hæ sunt nunquam desituræ divini Spiritûs Gratiæ, ac Dona, quæ lapsæ naturæ prorsus in subsidium necessariæ sunt, ut ita demum sanctificetur, amissamque divinam similitudinem recuperet.

Quare ad istam Notionem, quæ plerumque occurrunt in sacris codicibus, de æterni Spiritus *Influentiâ* promissiones interpretandas judico; nempe ut hujusmodi sit, quæ informandis hominibus ad veritatis cognitionem, iisque opitulandis in virtutum officiis contra corporis illecebras, ipsis interim connitentibus, sufficere possit. Sic enim legimus, *Habetis unctionem, & nôstis omnia:* 1 Joh. 2. 20, 27. quæ restringi debent ex subjectâ materiâ, omnia scilicet ad salutem necessaria, quæ circa fidem, moresque oportet scire Christianos homines. Hæc Salvator Deus in Evangelio tradit, hæc in mentibus operatur, tum Fidem, habitumque abundantiùs profundens dona sua sub novo fœdere sanctus Inspirator, ipse etiam Deus: quare duplici nomine à Deo docti evadimus, si boni Discipuli, si audientes, si dociles velimus esse, Joh. 6. 45. Chrys. Heb. 8. 11. 1 Thess. 4. 9. Et quæ nos docet, quos nos efficit, qualem

qualem in nobis indolem gignit Ille animum attingens, internè admonens ſine verbis magiſter, nempe quòd tota ejus diſciplina eò nititur, ac ſpectat ad homines renovandos, omnigenaſque in iis ingenerandas virtutes, ex beato Apoſtolo intelligere eſt, cùm longo ordine virtutes dicit divini Spiritûs fructus, ac opera, (Gal. 5. 22,23.) quamvis noſtro etiam aſſiduo labore, ac diligentiâ comparentur. (2 Pet. 1. 5,6,&c.) Hæc aliquando immediatè perficit per internum afflatum, plerumque mediatè per Evangelii miniſterium, cui ſemper permiſcetur, internamque efficaciam pariter infundit, modò rectè ad obſequium apparemus animum. (Utrùm ſolâ irradiat Scripturarum intelligentiâ, ac notione *animos*, an *iis* quæpiam pro natis occaſionibus illic non comprehenſa ſuggerit, vix tanti controverſiam puto; ſiquidem quæ ad ſingula pietatis munia abundè ſunt uſque ſuppeditat, Scripturæque iſtiuſmodi omnia continent. Barclay p. 26.) Sic mentes illuminat, ſic refingit corda, multiplicem iis tum doctrinæ, & ſcientiæ, tum virtutum & ſanctitatis largiendo gratiam.

Quæ communiter omnes ſpectant Gratiæ, illas verbi miniſtris, Evangelii Sacerdotibus, quatenus aliorum adeò ab ipſis ſuſpenſa commoda ſunt, dum Functioni animum ſatis attendunt, affluentiùs tributas non immeritò putemus. Hæc Sancti Inſpiratoris dona, quæ unicuique præſtò ſunt, ſinguliſque provehendis tum fide Chriſtianâ, tum pietate inſerviunt, perpetua habentor.

Alterius generis Chariſmata ſunt ab Apoſtolo recenſita duodecimo capite ad Corinthios primæ; Sermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, donum prophetiæ, diſcretionis Spirituum, Linguarum diverſarum, operationis virtutum, ſic enim ſe verba habent ἐνεργήματα δυνάμεων.

Quæ ut aliquantùm explicatiùs dicam. Sermo ſapientiæ eſt Chriſtianæ Religionis, & myſteriorum notitia, juxta ac *Chachma* ab Hebræis uſurpatur pro rerum præſtantiſſimarum

ſtantiſſimarum, divinarumque diſciplinâ. Quo prorſus ſignificatu enarrata ſapientia eſt (2 Cor. 6. 7.) de doctrinâ ſcil. mirabilis illius diſpenſationis Dei, nempe Evangelii, ſive Chriſti revelati ejuſdemque revelantis, in quo teſtante iterum Apoſtolo, *Omnes divinæ cognitionis theſauri abſconditi ſunt*, Col. 2. 3.

Sermo Scientiæ occultarum rerum comprehenſio eſt, vel cogitatorum hominum, vel conſilii divini in datâ quadam circumſtantiâ, ac opportunitate; anticipatio ſcilicet ſeu prænotio eorum quæ olim aliquando eventura ſunt, ſive qualis alicubi rerum publicarum ſtatus eſt, ſive qui poſtmodum, Deo diſponente, ac præſignificante futurus, tum apud exteros, tum populares ſuos.

Donum Prophetiæ, quod ut à nominato internoſcatur munere, de facultate concionandi explicandum cenſeo, quam ſæpiùs Prophetiæ expreſſam notione, deſignatamque invenimus (1ma ad Cor. 4. 11. 14. 29.) Vel idoneam quandam promtitudinem denotat, ſive in laudando benigniſſimum Deum, ſive fuſis ſupplicationibus ipſum deprecando, unde in publicis celebritatibus nullo adhibito præmeditationis ſtudio, ex inſtinctu divino copioſè quis enarret Evangelii dogmata; vel hymnos, vel preces pro eo ac debentur Creatori benefico extemporali facundiâ affluentiùs effundat.

Diſcretio Spirituum, unde penetratis, perſpectiſque cordibus impoſtores convincantur, quo quis mentis habitu ſit, redarguatur, ſinceri Chriſtianæ cultores fidei à Falſariis impiis, deceptoribus magicis, illæque quas hi illuſorias, vel veras operationes edunt, à beneficis divini Spiritûs virtutibus dijudicentur. Matt. 24. 11, 24. 1 Tim. 4. 5. 1 Joh. 4. 1.

Diverſæ Linguæ, quibus imbuti gentium variarum hominibus prædicarent ſermones Chriſti.

Interpretationes Linguarum, nempe ut dum divinitùs afflati

afflati quidem Evangelii doctrinas, ſive myſteria nunciaverint ignoto plurimis, ac peregrino idiomate, qui concioni interſunt præſentes ex iſtâ oriundi natione ſeu gente, quibus illud idioma vernaculum ſit, ſimiliter inſpirati dicta latiùs diducerent, explicarentque.

Operationes virtutum, ſcilicet poteſtas ſupra omnes cauſarum naturalium vires, ægrotos ſanandi, imo mortuos reſuſcitandi, Dæmonas ejiciendi, & quæ reliqua ſunt miracula præſtandi, quando facto opus eſſe ad illuſtrationem bonitatis ſuæ ipſe effectûs opifex Deus, ut omnia certiſſimè, prænovit, ac vidit.

Tum etiam Fides, invicta ſcilicet ac conſtans fiducia, quâ illi virtutum ſeu miraculorum operarii perſuaſiſſimi fuerunt, ſe neque ipſos fruſtra habere, neque alios, dum ad iſtiuſmodi facinora non inaniter accingentur, ſed deſtinatos eventus infallibiliter attingent; vel fides hoc innuere loco poteſt ſanctam audaciam magnanimitatemque, quâ armati olim Evangeliſtæ contra adverſantium terrores minaſque Spartis, quas acceperint, ſinguli ſuis intrepidi inſiſterent. Ita hìc fides interpretanda venit, ſi pro miraculoſo jam Dono habenda ſit, & non potiùs pro firmitate quadam animi, ac obſtinatione in perfungendis officiis, quâ qui milites Chriſtiani meritò dicuntur, ſemper gaudere, ac imbui debent.

Peculiares, ut ſic loquar, hæ ſancti Inſpiratoris dotes erant, propagando Evangelio, ratione habitâ ad hominum tunc temporis ingenia moreſque, apprimè neceſſariæ, nempe, ut Evangelii tantis pleni myſteriis, cunctorumque inſtitutis in Sacris adverſi prædicatores primi iſtiuſmodi fruerentur influxibus ac donis, quæ cœleſti huic doctrinæ imprimis revelandæ in animis ſuis, eique aliis annunciandæ perſpicuis ſermonibus, tum conſtanter aſſerendæ adverſum omnes ingruentium impetus, & tanquam à Deo profectæ religioni, omnipotentiæ indubita-

tis ſignis, miraculis ſcil. ſtabiliendæ ex æquo reſpondeant, atque accommoda ſint; iſtiuſmodi, inquam, ut frueren-tur donis, qui novam hanc Legem, Evangelium videlicet, promulgarent primi, neceſſum fuit.

Hæ extraordinariæ largitiones ac dona non ad pro-prium cujuſque commodum ſingulis tributa, (quippe quæ ſæpiùs infirmos, & leves mortalium animos ſuperbientes reddunt, (2 Cor. 12. 7.) ſed ad emolumentum data totius Eccleſiæ, ſive Chriſtianorum univerſi gregis. Sic enim Apoſtolus, *Unicuique datur manifeſtatio Spiritûs ad uti-litatem*, communem ſcil. fidelium omnium, quæ Deo dig-nior, quantò maxima eſt; (2 Cor. 12. 7.) ſicut alibi oſten-dit revelatam ſcientiam, quam quaſi Lucem in cordibus diffundit Deus, eapropter præbitam πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως, ad illuminandum reliquos, vel ut alios eâdem cogni-tione illuſtrarent, Apoſtoli ſcil. Evangelii Doctores, quâ ipſi prædiți ac donati fuerunt; 2 Cor. 4. 6. Hæc itaque Dona, completâ demum, ſcriptiſque conſignatâ tum naturæ divinæ, tum conſiliorum, quâ hominum ſalutem ſeu felicitatem ſpectat, revelatione, unde ſcientiæ quan-tum jam in uſus ſufficit aſſiduâ lectione depromi poteſt, omnino tolli, aut inhiberi æquum fuit; atque prorſus ſub-lata ab Apoſtolorum fere temporibus, tum hiſtoriæ mo-nent, tum noſtra etiam ſuffragatur experientia, uti poſt perfectam fidei regulam ac morum diſciplinam, illa eadem Revelatio narrat tandem tollenda, ſive deſitura. 1 Cor. 13. 10. Eph. 4. 13. 1. 14. Hæc enim, ut tunc pro ratione temporis, ſubitis influxibus, ſive θεοπνεύστως dari oportuit, ita nunc ſtudio acquiri, ac diligentiâ & poſſunt & debent; quæ via adipiſcēdæ eruditionis Chriſtianæ cum communi quaſi gratiâ omnibus aſſiſtenti, quatenus in ſe illam admit-tere volūt, multis nominibus nobis opportunior, ac ſatior eſt. Sic explicatis divini Spiritûs chariſmatibus ac donis,

Jam notas apponam, quibus vera inſpiratio ab Enthuſi-aſmo

asmo, quæ falsa audit, discernenda sit. Voluit enim optimus Deus nos certos esse certitudine quadam nostrarum alicui facultatum expositâ de doctrinâ suâ, ut nisi tantis confirmatæ signis ac indiciis, quæ ipso solo auctore fieri possint, tanquam infallibili assensum veritati non præbeamus. Sic apparati, sic instructi advenerunt potentiâ miraculorum tum *Moses*, *Christusque*, ad quæ uterque provocavit pro certitudine demonstrandâ Doctrinæ suæ, quòd à Deo orta, ac profecta esset. Exod. 4. 1, 2. Joh. 10. 25, 38. 14. 11. 15. 24. Notæ illæ hujusmodi sunto.

(1.) Si vitiis quibusdam patrocinetur aliquis, si contra rationis rectæ præscriptum, vel omnium officiorum certissimam regulam, Evangelium scil. enormem vivendi habitum admittat, sive polygamiam, sive aliud quidpiam sanctissimæ huic disciplinæ absonum; tunc quomodocunque se jactet de affluenti orationis abundantiâ, ac copiâ (quod plerumque in causâ obtenditur) est merus impostor, versutusque simulator, qui à naturæ statu ferventiori profecta Sancto Inspiratori accepta refert. Spiritum Dei, utpote ipsum sanctissimum omnisque in nobis sanctitatis efficientem super impium insidere inficiabantur olim Hebræorum magistri; (quod proverbii loco usurpare solebant) uti propter diversam inter ipsos indolem illum ita insidere omnino non posse, evidentissimè deprehendere est; ad quam insessionem, (sit verbo venia) divinum instinctum, seu inspirationem, morum integritas semper requirebatur, ita ut omnes prophetas probos piosque, homines accepimus, unis exceptis Balaam Caiphaque, qui ideo donari futurorum prænotione censendi sunt, quòd, cùm prophetia aliorum commodo concessum munus est, in perditissimo seculo non reperiebantur, qui vel morum honestate vel saltem authoritate cum illis conferendi essent, per quos decreta sua efficaciùs ad coercendum scelestum populum declararet Deus. Quantum quantum arroganti-

tiæ eſt, adeò omnes infra ſe poſitos arbitrari, ut ſolum mortalium, quibuſcum in vitæ ſocietate conjungitur, ſanctitatis ſe idoneæ, ac paratum cenſeat, qui divini Spiritûs afflatum participet!

(2.) Si furore abreptus aliquis, *quo à Diis immortalibus* [dicente Oratore] *eſſe homini non poteſt major pœna*; ſi incompoſitos motus prodat humanâ alienos dignitate ac perſonâ, ſi quaſi ſpumantes ſermones evomat multâ ſalivâ conſpurcatos madidoſque, diſtortis indicibus animi oculis, totiuſque vultûs, qui ſermo quidem tacitus *mentis* eſt, immutatâ venuſtate; adeò ut inſtar vatum Apollinis apud ſanos, ac ſobrios bacchari videatur; tum certè divinus non illi mentem afflat Spiritus, qui juxta quam adhibet ἄνωθεν σοφίαν, deſurſum ſapientiæ deſcriptionem Apoſtolus, (Jacobi 3. 17.) lenis, mitis, moderatus eſt, æquè ac miſericordiâ plenus, & fructibus bonis. Eſt tanquam Sibilus auræ tenuis, (3 Reg. 19. 13.) quæ examuſſim enarrat Evangelii dona.

Atque cùm de Enthuſiaſmi tempeſtatibus loquor, non ſolùm ſub perſonâ ſingulari tremulos dico, ſed noſtri ſeculi Enthuſiaſtas alteros, qui ſanorum verborum, Liturgiæ ſcil. quam habemus, abſolutiſſimæ ſpretis formulis, etiam in publicis celebritatibus, conventiculis ſuis (ubi multifariam neceſſariæ illæ formulæ ſunt) tetricâ facie, quaſi tormina paterentur, voce triſtificâ per omnes ſonos tum orationes, tum conciones ſubitaneas fundunt. Quæ autem illæ, & quales ſunt, non tantùm ipſi noverint; ſed nos quoque ſatis auguramur quas eſſe neceſſe eſt, quàm perturbatas, confuſaſque, quæ ſine Artium diſciplinis, etiam impræmeditatò ejiciuntur.——Sed hæc noſtræ ætati minimè propria, ſive accommodata ſunt. Quamvis enim prophetæ ſub veteri Lege angores quoſdam, æſtuationes animi, atque ecſtaſes ſæpe perpeſſi fuerint, quæ præſertim contigerint Ezekieli reliquiſque, paulatim

latim imminuto ac ad occasum vergente in Ecclesiâ Judaicâ prophetico lumine; sub novâ tamen dispensatione seu Pacto inspirati omnes mente constabant, animique facultatibus integris fruebantur, uberiori tantùm infusâ luce, quæ illas facultates non opprimeret illustratione suâ, sed dum interim illæsæ manent, rerum plurimarum scientiâ augeret, quas ipsæ attingere, vel usu diligentissimo assequi non poterant. Prophetæ Evangelici (inquit Chrysostomus) sobrio quodam gaudentes habitu, salvo ac libero exercitio Rationis, divini Spiritûs afflatus perceperunt; (προφήτευον ὡς αὐτοῖς πρέπον ἦν, μετὰ συνέσεως, καὶ ἐλευθερίας ἁπάσης· vel ut alibi, μετὰ διανοίας νηφούσης, καὶ σωφρονούσης καταστάσεως, (ad Cor. p. 430, 431.) eo scil. universos spectante, quod de se pronunciavit Paulus, cum ad Fœlicis tribunal constitutus fuit, *Non insanivi, præstantissime Fœlix, sed veritatis, & sobrietatis verba loquor.* Act. 26. 25.

(3.) Si fidei Christianæ Articulum abnegaverit, non dico illum principem, cui tãquam fundamento innituntur reliqui, Christum nempe advenisse in carne, (1 Joh. 4. 2, 3, 15.) (1 Cor. 12. 3.) sed præter illum quamlibet in sacris codicibus planè significatam, enunciatamque Doctrinam: Nam quæ à Deo revelantur effata, ac oracula Spiritûs sui, ut singulis sibi invicem concordent partibus sive bonitas ejus, sive veritas postulat. Scriptura est norma veri, & recti; ita Isaias contra Divinantes seculi sui (8. 20.) *Ad Legem ac Testamentum, Si non dixerint ad sermonem hunc non est iis aurora,* sive nihil Lucis habent.

Qui ergo Scripturæ dogma quodcunque inficiatus fuerit, vel Christum utrâque naturâ præditum, hominem, Deumque, jam in Cœlis existentem; vel resuscitationem corporum nostrorum etiam ad formam cœlestem, postquam in putredinem à morte abierunt; vel in personis trinum Deum, vel istiusmodi quodlibet Christianæ fidei argu-

argumentum ac apicem; quamvis homo copioſiſſimus ad dicendum ſit, quod plerumque inſpirationis teſſera habetur, benigno Dei Spiritu non afflatur, non urgetur, ſed illius, qui Satanæ, adverſarii ſcil. ſive Antichriſti eſt.

(4.) Si Eccleſiæ Paſtoribus (Eph. 4. 11.) ſupra ipſum in Domino præpoſitis ſuis, qui pervigilant pro animabus cæteri gregis, quaſi rationem reddituri, obſecundare & ſubjici renuat: quam illis obedientiam non tantùm imperat ac jubet Apoſtolus, (Heb. 13. 17.) ſed tanquam maximi momenti officium vehementiùs obteſtatur (1 Theſſ. 5. 12.) dilectuſque Johannes κειτήριον hoc adhibet, quo veri Chriſtiani probi ſectatores Magiſtri ſui à ſimulatoribus dijudicentur; *Qui novit Deum audit nos: qui non eſt ex Deo non audit nos: Ex hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris.* (1 Joh. 4. 6.)

Imò etiam & inſpiratos, præſtantiſſimis imbutos chariſmatibus Spiritûs, ſint licet præ reliquis quaſi oculi, manuſve, ad obſequendum tamen, quà licitè poſſunt, Eccleſiæ præſidibus, qui in Apoſtolorum jura ſucceſsêre, magnoperè adhortatur beatus Paulus, eo nimirum conſilio ac fine, ut omnia decenter, atque ſecundùm ordinem fiant. (1 Cor. 12. 13, 14.) Qui Schiſmata facit, διχοστασίας diſſenſiones ſcil. diſruptâ cum veris ſive Epiſcopis, ſive Rectoribus in legitimis inſtitutâ Communionis Societate, dum συναγωγάς, ab ipſis diverſos conventus agit, quæ diſſidia accenſentur operibus carnis, (Gal. 5. 19, 20.) carnaleſque appellantur, qui in illis conſiſtunt. (1 Cor. 3. 3.) Quippe eò adducti notione, ac titulo præcellentium donorum, cui nexu neceſſario ſuperbia adhæret, aliorumque, qui dum iſta non oſtentant munera, tum modeſtiùs, tum veriùs de ſeipſis judicant, contemtio ac deſpectus, quæ mera carnis inſolentia eſt, ex ſenſibus expreſſa, atque formata notio, non excultæ prudentiæ, non Rationis proles.

les. Quare iſtiuſmodi Schiſmata deflet Apoſtolus, ſuoſque ab iis inſtantiſſimè avocat. (1 Cor. 1. 10. 11. 18. 12. 25. Rom. 16. 17.)

Qui ergo Schiſmata facit, à veris Evangelii ſe paſtoribus ſejungit, proculdubiò ille divino Spiritu, quem impertivit Chriſtus ſuis, vinculo quaſi Patris Filiique, vinculo inter ſe Chriſtianorum omnium, præcipuas virtutes, charitatem, humilitatem ingenerante in animis, non oppletur, non inſtigatur, quantumvis non modò ſententiis copioſè, ſed verbis etiam ornatè dicat; ſed quo, & quali concitatur Spiritu non attinet dicere.

(5.) Poſtremò ſi rationi adverſa dicat: Ratio enim ſive intelligentia animi facultas primaria, ac præcipua, nobiliſſimum hominibus in primâ formatione impertitum munus, quo cum Deo quodammodo prærogativam participârunt; quæ ideo conceſſa tam excellenti gradu ratio eſt, ut alterius generis appetitus, motuſque à corpore profectos gubernaret ac regeret, ſuoſque intra cancellos contineret, vitæque communis inſerviret commodis, peſtifera ſcil. diſcernendo à ſalutaribus, & ex præteritis indagando conſequentia, rebuſque præſentibus annectendo futuras; quibus ſingulis officiis ſatis fuiſſet, illa ſcil. primitus data Ratio, ſi cupiditatibus corporis, ſenſuum blandimentis non ultra quam oportuit, indulſiſſet, etiamque adhuc indulgeret, unde plurimùm caligare, multiſque neceſſe eſt implicari erroribus; ut jam ſubnixa adminiculis gratiæ per Salvatorem Chriſtum iſtis officiis ſatis eſt. Hæc inquam Ratio, Spiritus hominis qualis principiò creatus ac inditus cum originariis facultatibus ſuis, vel accedentibus à lapſu privilegiis auctus atque redintegratus per Mediatorem Jeſum, eſt Candela Domini; Prov. 20. 27. quæ, ſi ſe diligenter applicet ratio, omnis cum ſenſibus contagionis immunis

immunis, ad contemplationem rerum, quouſque pertingit, quid optimum ſit cernere, verumque dijudicare exiſtimanda eſt. Quare & hujus admittitur, pro quâ pollet ſcientiâ, in quantum res aſſequi, ac inveſtigare poteſt, etiam in Sacris teſtimonium. Ita Apoſtous, *Ipſe Spiritus*, Sanctus ſcil. à Deo datus, *unà teſtatur cum ſpiritu noſtro*, id eſt, cum conſcientiâ, vel animo noſtro. (ad Rom. 8. 16.) Item Actor. 15. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Quare ſi quæ Rationi rectæ adverſentur poſuerit aliquis, Rationi omnibus præjudiciis liberæ, quæ ad ſeculi præſentis voluptates, vel commoda non propendeat nimiùm, vel proclivior ſit; ſi iſtiuſmodi poſuerit aliquis, certè non divini Spiritûs effata, ſed vana animi commenta ac dolos pronunciat, & prodit. Nam duo illa noſtræ intelligentiæ principia ad hujuſce vitæ honeſtum uſum, æternamque in cœlis beatitudinem conſequendam à Deo hominibus conceſſa ac præbita, ut diverſa ſignificent, vel inter ſe repugnent, & contrarientur fieri non poteſt; imo ut amicè conſentiant, unumque alterum perficiant ac compleant neceſſe eſt. Fatendum eſt longè plurima eſſe ſupra captum cogitationis, ſeu rationis noſtræ, non ſolùm quà Deum, quem animo concipere, qualis quantuſque, quàm ſapiens, quàm bonus, quàm ad omnia potens, impoſſibile eſt; ſed quà res creatas, quarum ne minimarum, etiam quæ videntur nobis perſpectiſſimæ, internam conſtructionem ſive fabricam novimus. At quamvis veritatis non ita Regula eſt Ratio, ut univerſa, quæ vera ſunt, complectatur, eorumque κριτήριον ſive menſuram in ſe contineat; de iis tamen, quæ illi adverſantur, tanquam falſis omnino ſtatuendum eſt.

Jam

Jam à verâ inſpiratione disjuncto Enthuſiaſmo, ejuſque patefactis origine ac causâ, quòd nempe à quadam temperie corporis, dum ſanguis ſpirituſque efferveſcunt magis, oriundus eſt; quare vel morbus, vel, dum ad aucupandum ſive commodum, ſive gloriam ex induſtriâ concitatur, culpa ſemper æſtimandus eſt.

Jam ultimum aggrediar, ut noſtrâ hac ætate quotidie ingruentis calamitatis remedium, quod potero, afferam, non ex Pharmacopolio, ſed ex Morali diſciplinâ, Theologiâque quæſitum. Primum eſto Temperantia, non ſolùm tum cibi, tum potûs etiam moderatus uſus, ad debitum corporis alimonium definitus, qualem juxta cum Ratione Evangelium præcipit; ita ut nulla Spirituum, quæ mentem perturbet, animalium copia ſupervacua ſit; ſed ſæpiùs jejunia noſtro jure inſtituenda ſunt, gulæque indicenda prorſus à paſtu neceſſario abſtinentia, ut ab iſtis ſemper Eſculentis, ſeu Potionibus, quæ ſanguinem inflammare, fumis infarcire, ac attenuatum magis ad Rationis arcem vehementiori impetu ſubvehere ſolent: tum deinde caſtimonia, ut quis poſſit, caſtiſſima circa eas quæ tactum ſpectant voluptates, quæ hominibus turpitudini ſive opprobrio ſunt, dicente Ariſtotele Eth. 3. 10. ſiquidem nobis tantùm quà animalibus competunt, noſtrique generis nihil proprium habent; nam manifeſtò conſtat ex omnibus, quas novimus, Enthuſiaſmi hiſtoriis, quòd voluptarii hominum fuerunt, quibus penitus obſeſſa libidinum vaporibus phantaſia erat,

qui de prophetiâ ſeu inſpiratione intolerantiſſimè gloriabantur: quod demonſtrationi planè eſt, quam iſtiuſmodi prophetiam præ ſe ferunt à fumigatione quadam ſubnaſci, non afflatum divini Spiritûs eſſe. Atque huic temperantiæ, vel ſi inſuper ad pietatis gignendum habitum etiam abſtinentia neceſſaria eſt, addendum judico Devotionis aſſiduum ac diligens exercitium, mentiſque ad Deum elevationem; unde non ſolùm ventiletur ſanguis, ac à tenebroſis, gravibuſque fæcibus repurgetur magis, ſed etiam impetretur divina gratia, quâ huic peſtilenti obſiſtendo malo pares ſimus.

Enthuſiaſmi ſive qûà morbi, ſive quà vitii alteram medelam, ſi non Evangelii primariam virtutem, ſaltem è præcipuis unam, Humilitatem cenſeo; quæ privilegia, quæ dotes ſingulas, quibus homines gaudent, largitori Deo acceptas refert, eóque illas magis ipſi tribuit, quò vel genere, vel gradu præcellentiores ſunt. Quare iſtiuſmodi hominem fingit, ut nullâ prærogativâ, ſi fortè quâ potitur, quandoquidem à liberâ munificentiâ natum, ſive gratuitum participium ſit, exſultet, geſtiatve, nec ſe ſupra alios inſolentiùs efferat, laudis & præconii merus contemtor. Cæterùm tam ſui vacuus animus, vanæque omnis opinionis & jactantiæ, de quâ fortean ſcientiâ imbutus eſt, ſcientiſſimus evadat neceſſè eſt. Quippe cùm nihil in ſe tumultuarium habet, quod Gratiæ tenerrimis influxibus obſtet, cœleſtium illuminationum paratiſſimus fundus ſive centrum eſt. Qui igitur ſic animo affectus eſt, in hoc hu-

humili mentis habitu consistit, hanc demissionem assequitur, veræ adeò acquirendæ sapientiæ idoneam, quasi sartus tectus ab Enthusiasmo conservabitur, ab eo scil. qui sui æstimatores superbos reddit, tanquam liberrimè inspiratos homines, Evangelicos Prophetas, cùm fortassis nihil supra vulgus imperitorum sapiunt, dignumve, quod inspirationi debeatur, enunciant.

Hæc hujus Remedia mali sunt, quæ finem consequentur, modò Ratio conservetur in gradu suo immunis, ac libera, depravatarum cupiditatum Domina, in judiciis ferendis, sive se exerendâ non nimiùm ad corpus, sensusque declinata.

Nunc verò solum, ut dispiciam, restat, quomodo animi apparandi sunt ad veros percipiendos divini Spiritûs instinctus, afflatusque. Ac quandoquidem in lapso hoc nostro & degeneri statu cœlitùs subsidia necessaria sunt; ut ea animis nostris copiosiùs illabantur, divinamque in nobis sive Facultatem, sive Sensum constituant, quâ tum intelligere & sapere poterimus quæ Dei sunt, veritates scilicet, doctrinasque cœlestes, tùm illis contemplandis summè delectari; ad virtutes, quas diximus, temperantiam & humilitatem, sacrarum Scripturarum, sanctissimi Spiritûs oraculorum sedula lectio, flagrans studium adjungenda sunt.

Imprimis ergo, si placet, audiamus quæ de prophetiâ, liberiori tantùm ad peculiares destinatâ fines quasi Spiritûs infusione, Hebræorum magistri tradiderunt: eaque his ferè verbis concepta sunt.

Ut ad perfectionem naturalem, idoneum temperamentum, pro more hominum intellectum integrum; unde illorum enunciatum, Niſi ſuper ſapientem non habitat Prophetia; tum etiam ad perfectionem, quæ in moribus cernitur, virtutes, quà licet ſingulares ac ſummas, Temperantiam, Continentiam, Modeſtiam, reliquas accedant etiam Diligentia, ac Studium, unde quod in potentiâ ſpeciei ſit in actum educatur. Quare apud illos pro oraculo habetur, Quomodo & ſtultum, ſic etiam indoctum prophetare non poſſe, nec unquam contingere, ut homo veſperi ſe cubitum conferat non propheta, craſtino mane propheta ſurgat, quemadmodum qui inopinatò invenit aliquid. Hoc noſtrum, inquit *Maimonides*, fundamentum eſt, quòd nemo ſine ſtudio ac perfectione Prophetare poſſit; & quòd poſſit, ab ipſo pendet. (*More Nev.* p. 285, &c. 294, &c.)

Ita illorum ſtat ſententia, taliter eos animum ſeu mentem diſponere, ac diſpenſare debuiſſe, qui prophetarum dici filii, ſeu qui Divinitatis liberiorem influentiam honeſtâ & laudabili ambitione petierunt. Conſimilem in modum Scripturæ monent adhibendam Diligentiam, aſſiduum uſum facultatum noſtrarum in iis perdiſcendis, quorum intelligentiam ex illuſtratione divini Spiritûs tum luculentiorem tum ampliorem, ſive plura ac majora complexam cupimus. Sic rogat, ac obteſtatur Timotheum Paulus, primâ ejus nomini inſcriptâ Epiſtolâ, (cap. 4. 13, 14, 15.) *Dum venero attende lectioni, aſſiduus eſto in evolvendis prophetarum libris, hæc* meditare,

*illis*

*illis totus insiste, ut profectus tuus innotescat omnibus:* ista enim illi Episcopo designata Ratio, sive methodus erat exsuscitandi donum Dei in ipsum collatum per Apostoli manuum impositionem, (2 Tim. 1. 6.) scilicet animum excolendi, paratioremque reddendi ad illud usque liberiùs participandum donum. Quare Danielem invenimus, dum Jeremiæ vaticinio de captivitatis Judaicæ præfinito tempore diligentiùs incumberet, prophetiâ donatum, non solùm de reddito populo, restauratis Hierosolymis, sed de longè dissociatis, sive ab invicem distantibus, Messiæ excessione, & redivivi deinceps super omnes gentes sempiterno dominio. (cap. 9. 2, 24, &c.)

Quod possumus igitur apportandum in medium, eò omnes animorum facultates, ac nervos intendere debemus, ad illam scilicet divinarum Rerum percipiendam scientiam, quam immissis à sancto Inspiratore Radiis cumulatiore mensurâ, sive auctam volumus. Non enim frustra præcellentibus, donis, intelligendi copiâ, & liberâ in utramlibet partem potestate, nos instruxit Deus: sed ut iis fruamur, & tantorum munerum legitimo usu habitum mentis divinis accommodum influentiis comparemus. Illa namque est Dei æquissima Regula, *Habenti dabitur*, hoc est, rectè utentibus cumulatè ac abundanter; hisce largiter adimplebit Deus quod primùm dedit; cùm ab indiligentibus, animo non connitentibus cum prioribus datis, *etiam quæ habent*, quæ acceperunt, *auferentur*; (Matt. 13. 12.) Non super ignavos,

vos, quieſcentes penitus (uti nonnullorum ſententia eſt) qui nihil diligentiæ, nihil operæ conferunt, diffundit largitiones Gratiæ ſuæ.

Quare, Juvenes Academici, huc fortè ad veſtras appulſum ſedes amiciſſimum Advenam hortantem, ſuadentem, orantem patiamini. Primùm mores honeſti, recta vitæ diſciplina, omnimoda ſanctimonia etiam animo, ac cogitationibus inſtituenda ſunt; ea pars noſtri, in quâ feritas quædam atque agreſtis immanitas eſt, intemperantia omnis, quoſcunque ſeu ſenſus ſeu appetitus reſpicit, reprimenda prorſus, quæ lenem divini Spiritûs influxum repellit, ac arcet; Ratioque tuenda in juſto gradu, ſeu dominatu ſuo, piis omnibus Gratiæ inſtigationibus obſequens. Prima veſtra & quaſi antelucana impendenda cura eſt in Sacris legendis, ac pervolutandis libris; qui, quicquid veri ac certi novimus, utpote omnium effectoris Dei enunciata, uni continent; quaſque æternas enarrant veritates, quamvis vel divinam, vel creatam naturam ne minimâ ex parte aperiant ac retegant, eæ tamen ſunt, quæ commodum noſtrum maximum afferunt, eique præmonſtrando, tum aſſequendo, beatitudini ſcil. tam hìc quàm in cœlis, abundè ſufficiunt. Inde auſpicanda ſtudia veſtra, perennes hoſce fontes, viva flumina ſemper ſitiant animi; & quo magis ex iis biberint, ſitient magis. Neque ſolùm in iis matutinas inſumite meditationes, ſed illis ad lucernam invigilate, ſint ad ſomnum ultimæ lucubrationes, quibus mens repleatur, atque acriùs ſe exerceat,

quaſi

quasi soluta, ac libera impedimentis suis, dum corpus sensusque consopiti jacent; (namque somniorum, siquidem istarum inhærentes reliquiæ rerum sunt, quas vigilantes gessimus aut cogitavimus, rationi reddendæ expositi sumus.) Atque cùm ad verbum, seu revelationem Dei pro debito officio sic animos attendatis, aderit Spiritus sanctissimus ejus adhibitæ diligentiæ, insumto labori in oraculis suis, *occultè sapientiam vobis demonstrabit*, dicente Psalmistâ, (51. 6.) ad veram philosophiam studia ac ingenia vestra diriget, ne quandoque ad supervacanea aut ineptias defluant, ac in bonis artibus feliciores progressus dabit; *Multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa.* (2 Cor. 9. 10.) Ita vos indies magis magisque in veritatem ducet consentaneè semper ad verbum suum, ipso usque cum sana ratione monstrante viam; quo argumento, Illuminatio, cùm verbum Dei sanè explicatum regula habetur, ad quod se in omnibus probet ac dirigat, quæ vera est discernitur à quasi igne fatuo, seu Enthusiasmo. Quam ut alteram largiatur, ab altero nos incolumes servet Deus, ipsi continuis obsecrationibus supplicemus per & propter Jesum Christum Salvatorem nostrum.

Gratia Domini Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritûs sancti sit cum omnibus vobis, Amen, Amen.

*FINIS.*

## *ERRATA.*

*Pag. 6. Lin. 1. lege* solíque. *p. 12. l. 14. l.* quod. *p. 19. l. 27. l.* piósque homines. *p. 23. l. 24. l.* quàm. *p. 24. l. 6. l.* Apostolus.